

## Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 166

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUAE TRINITATIS. Wibaldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae abbas successoribus suis. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, quod anno ordinationis nostrae VIII<sup>vo</sup> quidam Walterus nomine portionem possessionis el decimationis quam in aecclesia de Female habebat in manus nostras reddidit; quam nos communi consilio fratrum et laicorum nostrorum hereditario jure possidenda fratribus aecclesiae beati Martini in Leodio concessimus, eo pacto ut singulis annis duos denarios pro respectu ejusdem possessionis nobis persolvant. Actum est hoc anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup> VII, indictione I<sup>a</sup>, regnante domino Cuonrado secundo Romanorum rege, Alberone secundo in Leodio presule. Testes de fratribus sunt: Warnerus decanus, Ebroinus, Robertus, Cuono cum omni ejusdem aecclesiae conventu; de laicis vero: Anselmus Stabulensis villicus et Adelardus frater ejus Ebroinus, Gundricus et Albricus frater ejus, Heinricus de Valle et Franco de Francorcamp, Godefridus de Benes et Franco de Fehe et alii multi aecclesiae filii.